

DIGRESSIO HISTORICA

De communione Laica.

Ad præcedentem Dissertationem.

Sacerdotibus, & aliis Clericis in poenam aliquis gravioris criminis denegatur olim Communio clericalis, & concedebatur tantum Communio laica, de qua mentio habetur apud Syricium Papam Ep. 1. c. 11. in Concilio Elberit. Can. 76. Sardinensis Can. 1. & 2. Agathensis Can. 33. Toletano I. cap. 4. Braccaren. I. Can. 31. & alibi. Quid sit autem ista Communio laica, non conveniunt Eruditi.

Dico 1. Communio laica non videtur fuisse illa, in qua una species tantum conferebatur; Clericalis, in qua utraque species, quia his temporibus, quibus conditi fuerunt laudati Canones, etiam Laici poterant communicare, & sæpe communicabant sub utraque specie. 2. Neque Communio laica intelligi potest Communio Sacerdotum, quibus non permittebatur consecrare, sed solum de manu alterius hostiam sumere; in qua Communio laica imponebatur etiam in poenam inferioribus Clericis, qui consecrare non poterant. 3. Communio laica non potest intelligi, prout opponitur functionibus & privilegiis Clericorum, quasi redigi ad Communioem laicam sit communicare cum ceteris Fidelibus in participatione Sacramentorum, in orationibus, & bonis operibus, more Laicorum tantum; at quoad munia & privilegia Ecclesiastica non haberi amplius pro Clerico, sed pro Laico. Non videtur, inquam, hæc interpretatio admittenda, quia in laudatis Canonibus agitur specialiter de Communione Eucharistica, & non de ea,

quæ dicitur Communio Sanctorum; his enim statuitur, ut Clerici ipsi post peractam poenitentiam, tempore definito, vel in articulo mortis Communione laica donentur, & Eucharistiam more Laicorum sumant. Restat ergo explicandum, quod intersit inter hæc Communioem laicam & clericalem.

4. Plures censent, Communioem laicam eam esse, quæ fit in loco destinato Laicis; Clericalis, quæ fit in loco destinato Clericis. Notum est enim, olim Sacerdotes & Clericos communicare ante altare in Choro, seu intra Cancellos; Laicos vero extra Chorum & Cancellos. Unde in Concilio Laodic. can. 19. legitur: *Solis Ministris altaris liceat ingredi ad altare, & ibi communicare.* In Braccaren. can. 31. *Ingressi Sacrarum ad communicandum non licet Laicis, nisi tantum Clericis.* Similiter in Toletano 4. can. 17. Hæc interpretatio, quamvis secundum quid vera, videtur tamen insufficientis, nisi aliquid addatur: quia Felix III. Epist. 1. de Clericis rebaptizatis dicit: *Communio laica tantum in morte illis esse reddenda;* & Concilium Sardinense can. 2. de Episcopo Ambrosio dicit: *Nec laicam in fine Communioem accipiat.* Diversitas autem loco in communicando in Ecclesia servari non potest in Communione moribandi. Scio doctissimum Sylvium respondere in his textibus Communioem vocari laicam, non ex loco, in quo actualiter fit, sed ex loco, in quo fieri debet, si ad Ecclesiam ire postea mori proximus. At videtur aliis hæc explicatio aliquatenus violenta. Unde 5. verisimiliter videtur, quod Communio laica differat à clericali & quantum ad locum, ut dictum est, & etiam quantum ad modum, quatenus Sacerdotes & Clerici communicabant cum quadam cerimonia & certo ornatu, non vero Laici; sicut apud nos Sacerdotes communicant cum Stola; & secundum hoc potest intelligi Communio laica in morte.

DISSERTATIO VI.

DE MINISTRO EUCHARISTIÆ.

D. Thom. Quest. 82.

Duplex est Eucharistiæ Minister, unus Consecrationis, alter dispensationis. De utroque dicitur cum Auctore, sit

ARTICULUS I.

Quis sit Minister Consecrationis Eucharistiæ.

Tertullianus libr. de præscript. cap. 41. conqueritur, Hæreticos Laicis Sacerdotalia munia injungere. Secundum Irenæum l. 1. adversus hæreses c. 9. Marcus Hæreticus & Præstigiator, & secundum Epiphanium hæresi 49. & 79. Pezuziani & Collyridiani mulieribus potestatem conficiendi Eucharistiam tribuebant. Valdenses eandem potestatem agnoscebant in quolibet Laico, modo esset vir probus. Lutherus l. 1. de Civit. Babyl. & libr. de abroganda Missa, cuius Laico eandem facultatem concedebat, non tamen usum nisi ex delegatione Ecclesie. Hugo Grotius in dissertatione, cui titulum præfixit: *de canone administratione, ubi Pastores non sunt*, contendit facultatem consecrandi datam esse ex æquo omnibus Christianis, ea tamen Laicos & foeminas uti non debere, nisi ubi desunt Sacerdotes & in necessitate. Contra quos omnes

Dico. (Hic q. 81. art. 1. o.) soli Sacerdotes sunt Ministri Consecrationis Eucharistiæ, sic ut præter illos nullos possit validè consecrare. Prob. 1. ex Scriptura. Hi soli potestatem habent consecrandi Eucharistiam, quibus Christus illam contulit; atqui solis Apostolis & eorum in Sacerdotio Successoribus illam potestatem contulit, dum dixit Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* ergo. Prob. Min. 1. Quia hæc verba Concilium Trid. sess. 22. cap. 1. sic intelligit: *Eisdem, inquit Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, hoc facite in meam commemorationem.* 2. Quia, licet ista verba, prout continent summptionem, possint intelligi de omnibus Fidelibus; prout tamen important Consecrationem non nisi de Apostolis & eorum in Sacerdotio Successoribus possunt intelligi; alioquin sequeretur, quod Laici & mulieres non solum possent, sed etiam præcepto tenerentur consecrare; quod non admittunt Hæretici: ergo.

Prob. 2. ex Traditione, fundata in Patribus, Conciliis, & Historia Ecclesiastica. Quantum ad Patres, jam audivimus Tertullianum exprobrantem Hæreticis, quod munia Sacerdotalia Laicis injungerent; & libr. de corona militis cap. 3. scri-

bit Eucharistiam sumi in antelucanis cubiculis, nec de aliorum manu quam præsentium. Justinus Apolog. 2. scribit: *Eum, qui fratribus (id est, Christianis) præest (scilicet Episcopus, vel Presbyterum) rerum universarum Patri per nomen Filii & Spiritus S. offerre Eucharistiam iuxta mandatum, quod Christus dedit, cum dixit: Hoc facite in meam commemorationem.* Epiphanius hæresi cit. 79. *Neque Diaconis Ecclesiastica regula conceditur est peragere Sacrificii mysteria, sed ministrare tantum, dum perficiuntur.* Et in expositione Catholice Fidei exprobat eundem Pseudomonacho Zachæo quod cum esset Laicus, attingere ac Sacrificia celebrare nefario ac temerario ausu esset aggressus. S. Hieronymus contra Luciferianos probat, apud eos esse Ecclesiam, quia Sacerdotes non habent, qui corpus Christi conficiant, sed Diaconum tantum: *Hilarius, inquit, cum Diaconus de Ecclesia recesserit; solusque, ut putat, turba sit mundi, neque Eucharistiam conficere potest, Episcopus & Presbyter non habent.* Et Ep. 101. alias 85. ad Evangelium: *Quis patiat, ut supra eos se tumidus Diaconus offerat, ad quorum preces corpus Christi efficitur?* Fulbertus Carnotensis in eodem sæculo XI. Ep. 36. ad Guidonem Bituricensem scribit, *Extra Chorum deponendum, & poenitentia plectandum Diaconum, qui se presbyterum simulavit, Missamque celebrare præsumpsit.*

Quantum ad Concilia. Concilium Nicænum 1. contra Diaconos, qui præsumebant Eucharistiam dare Sacerdotibus, dicit Can. 18. *Neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi Sacrificium non habent potestatem, his, qui offerunt, corpus Christi porrigant.* Idem Concil. Arelat. can. 15. Ancyr. can. 2. Laodicen. can. 25. dissentit vero Concilium Lateranen. 4. sub Innocentio III. sic definit: *Hoc Eucharistiæ Sacramentum nemo potest conficere nisi Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus secundum clavos Ecclesie.* Similiter Florent. in Decreto unionis, ac tandem Trid. sess. 22. c. 1. ut supra, & can. 1. *Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi alique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem summi, anathema sit.*

Quantum ad Historiam Ecclesie, constat ex S. Justino Apol. 2. ex S. Cypriano Ep. 5. ex Tertulliano l. 1. ad uxorem cap. 5. ex Basilio Ep. 5. ad Cæsariam Patriciam, & aliis, Eucharistiam olim missam fuisse ad absentes, Peregrinos & Anachoretas eam à Sacerdotibus acceptam secum deferre, atque Presbytero-

ros cum magno vitæ periculo in carceribus martyrum celebrasse. Ut quid autem ista, si quilibet absente Sacerdote poterat sacrificare? Item notum est, Chrysostomum crimina sibi imputatum de contracto Calice in domo cujusdam nomine Ischiras diluisse, ex eo quod, cum iste Ischiras esset homo privatus in privata domo habitans, poculum mysticum habere non potuit. Si Calicem habere non potuit, quomodo consecrare potuit?

Confirm. Incredible est Deum, qui solos filios Levi ad antiqua Sacrificia elegit, ita ut Ozam, quod ministeria Levitarum attentaret, percussit, Sacrificium præstantissimum novæ Legis, cuius antiqua erant tantum figuræ, omnibus indiscriminatim, & non viris selectis, atque speciali characterè insignitis, commiserit. Confer, quæ dixi in Tract. de Sacram. in genere dissert. 5. de Ministro Sacram. art. 2. Concl. 2.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. ex Scriptura. Omnes Fideles dicuntur Sacerdotes 1. Petr. 2. & Apocal. 2. ergo R. Fideles in Scriptura vocari Sacerdotes eo modo, quo ibidem vocantur Reges, improprie scilicet & late, quatenus offerunt Deo sacrificium laudis, orationum, & honorum operum; non vero proprie, quasi offerent Sacrificium Altaris incrementum. Vide loco cit. de Sacramentis in genere.

Obj. 2. Hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, dicta sunt omnibus; unde ex his probatur præceptum Communioem; ergo. R. D. Ant. Dicta sunt omnibus secundum aliquam sui partem, scilicet summptionem, Transeat Ant. Secundum totam suam amplitudinem, N. Quantum enim ad Consecrationem non sunt dicta omnibus, ut probatum est; aut, si quantum ad hoc sint dicta omnibus, non ut ab omnibus, sed ut a quibusdam tantum pro omnibus adimpleantur: ut enim docet Aug. l. 3. de Doctr. Christ. c. 17. *Erit etiam hoc in observationibus intelligendarum Scripturarum, ut sciamus alia omnibus communiter præcipi, alia singulis quibusque generibus personarum.* Quæ autem ab omnibus, quæ a quibusdam perficienda præcipiuntur, tacente Scriptura, ex Traditione recipiendum est.

Obj. 3. Tertullianus libr. de Exhortat. Castitatis c. 7. probat, omnes Fideles etiam Laicos debere esse Monogamos, ex eo quod Sacerdotes debent esse Monogami: ergo censent, omnes Fideles etiam Laicos esse Sacerdotes. R. N. Conseq. Cum enim Tertullianus distinguat inter Laicos & Sacerdotes, aperte significat Laicos non esse Sacerdotes. Vis ergo ejus argumenti in hoc sito est, quod, cum Sacerdotes assumantur ex Laicis, si Sacerdotes debent esse Monogami, ita & Laici; alioquin quomodo erunt Presbyteri, qui de Laicis adleguntur? Ita seipsum explicat Tertullianus ibid. subjungit enim: *Omnes nos Deus ita vult esse dispositos, ut ubique Sacramentis ejus obnoxii apti simus: Unus Deus, una Fides, una Disciplina. Usque adeo nisi & Laici ea observent, per quæ Presbyteri adleguntur, quomodo erunt Presbyteri: qui de Laicis adleguntur? ergo pugnare debemus ante Laicum jussum a secundo Matrimonio abstinere, dum Presbyter esse non alius potest, quam Laicus semel fuerit maritus.* Similiter ratioinam l. de Monogamia cap. 12.

Inst. 1. Tertullianus 1. loco cit. dicit de Laico, ubi Ecclesiastici Ordinis non est consensus. & offert, & tingit, & Sacerdos es tibi solus: ergo. R. 1. Hunc textum a Pannello operum Tertullianum accuratissimo Editore sic legi. *Ubi Ecclesiastici Ordinis est consensus, & offert & tingit Sacerdos, qui est tibi solus: & sic evanescit Objectio.* 2. Supposita vulgata Lectione. R. Tertullianum intelligendum esse de oblatione late sumpta, non pro Sacrificio Altaris, sed pro oblatione precum & honorum operum, respectu quorum Laicos dicitur etiam late Sacerdos, ut jam dictum est. Nec refert, quod Tertullianus ibi loquatur de unctione Baptismi proprie sumpta; est enim discrimen, quod absente Sacerdote quilibet, etiam mulier, posset Baptismum conferre propter ejus necessitatem, cum tamen idem Tertullianus l. de velandis Virgin. c. 9. asserat, mulierem sacerdotalia munia obire non posse; & l. de Præscript. cit. in capite hujus articuli conqueratur, *Hæreticos Laicis sacerdotalia munia injungere.*

Inst. 2. Tertull. ibid. dicit: *Differentiam inter Ordinem & Plebem constituit Ecclesie auctoritas & honor per Ordinis consecrationem sanctificatus a Deo:* ergo non Jure divino, sed Ecclesiastico tantum Sacerdotes consecrant, sique nihil verat, quin accedente Ecclesie consensu, alii consecrent. R. equidem differentiam inter Ordinem & Plebem constituit inchoatè per auctoritatem Ecclesie, quatenus ex Laicis a Clero Populo elegebantur Sacerdotes consecrandi: sed est perfectè & completè a Consecratione. Unde dicit Tertull. *Et honor per Ordinis consecrationem sanctificatus a Deo.* Brevius quidam respondent

ad totum arg. cum Hieronymo, Tertullianum non fuisse hominem Ecclesie. At non constat, hoc opus fuisse scriptum post ejus defectionem ad Montanistas.

Obj. 3. ex variis Historiis. 1. In veteri Martyrologio legitur, quod S. Petronilla S. Petri filia, cum S. Felicula collectanea sua continuis jejuniis & orationibus vacans, tertio celebratis Dominice oblationis Mysteriis, mox ut Christi Sacramentum accepit, reclinans se in lectulo, emisit spiritum. 2. Theodoretus l. 2. Hist. Ecc. c. 23. narrat, Frumentium Laicum, Alexandria ad Indos profectum, invitasse mercatores Romanos ad liturgias, more Romano fieri solitas. 3. Refertur in Prato spirituali c. 25. quemdam Monachum Laicum verbis sanctæ Oblationis panes consecraste. 4. Panem in agro a pastoribus consecratum, conversum fuisse in carnem, testantur Honorius Augustodunensis in gemma animæ, & Albinus Flaccus libr. de divinis Officiis: ergo. R. ad 1. Martyrologium laudatum non dicit, quod ab ipsa S. Petronilla fuerint celebrata Dominice oblationis mysteria. Et in actis SS. Martyrum Nerei & Achillei, quibus inserta est vita S. Petronillæ & S. Feliculæ, legitur: *Tertio itaque deveniens ad eam S. Nicomedes Presbyter celebravit Mysteria Christi, Virgo autem sanctissima, mox ut Christi Sacramentum accepit, reclinans se in lectum emisit spiritum.* Vide acta SS. Tom. 7. Maii pag. 429.

Ad 2. Theodoretus per Liturgias intellexit conventus Christianorum, ad fundendas Deo preces. Rufinus enim, ex quo hanc Historiam hausit Theodoretus l. 1. c. 9. dicit, Frumentium mercatoribus persuasisse, ut conventicula per loca singula facerent, ad quæ Ritu Romano orationis causa confluerent. Similiter referunt Socrates. l. 1. c. 19. & Sozomenus l. 2. c. 24. Idque eo magis constat, quod, referente ipso Theodoro ibid. Frumentius Alexandriam redux petierit a S. Athanasio Sacerdotes ad illius gentis culturam. Ad 3. 1. Multa referuntur in Prato spirituali, quæ sunt dubiæ fidei. 2. Supposita veritate historie, id miraculose factum est & virtute divinæ potentie, quæ non est alligata Sacramentis, & ideo trahi non potest in exemplum; maxime, cum ibidem referatur Monachorum seniore occasione hujus miraculi statuisse, ut nullus addisceret sanctæ oblationis verba, nisi qui ordinatus ad hoc esset. Ad 4. Laudati Auctores factum referunt ex incerto rumore, dicitur, fertur, inquit. Insuper hanc conversionem panis in carnem non virtuti verborum tribuunt, sed omnipotentie Dei in punitionem audaciæ Rusticorum.

Obj. 4. Diaconos saltè aliquando consecraste, probatur duplici momento. 1. Synodus Ancyra Can. 2. jubet Diaconos, qui Idolos immolarunt, ab omni Sacerdotali ministerio cessare, & Panem vel Calicem offerendi, vel prædicandi: ergo ceteri Diaconi his muneribus fungebantur. 2. Apud Ambros. l. 1. Offic. c. 4. legitur, S. Laurentium Diaconum Xsto ad Martyrium entati sic locutum fuisse: *Experire certe, utrum idoneum ministrum eligeres, cui commisit Dominici sanguinis consecrationem.* R. ad 1. Isto Canone prohiberi dumtaxat Diaconis lapsis offerre se deferre panem & vinum Sacerdoti celebranti, qua de causa dicitur Ministerium sacerdotale, non vero consecrare, & ideo multi legunt, *deserre & non offerre.* Ad 2. In Brevario Romano legitur: *Dominici sanguinis dispensationem, & ita legi in antiquissimo Manuscripto, quod superat ætatem 800. annorum, testatur Laurentius Berri, favetque Abq. Sem. 304. dicens, Laurentium Romæ Diaconi officium gessisse, ubique sacrum Sanguinem ministrasse.*

2. Retenta priori lectione, quam adoptarunt novi Editores S. Ambrosii juxta fidem plurium codicum, per consecrationem nihil aliud intelligitur, quam Communio, qua sanctificamur & consecramur.

ARTICULUS II.

Leviore quædam difficultates de Ministro Consecrationis expenduntur.

Potes. 1. Utrum Neomystæ consecrent simul cum Episcopo ordinante? R. 1. (Ibid. art. 2. o.) Plures posse simul consecrare eandem materiam, si tanquam causæ totales ab invicem independentes simul pronuntient & finiant verba Consecrationis, eo modo quo diximus plures posse simul eandem baptizare. Vide Dissert. 2. de Baptismo a. 3. Petit. 4. R. 2. (Ibid.) Neomystas consecrare cum Episcopo. 1. Quia in Pontificali Romano Monestur Episcopus, ut bene advertat, quod secretas morose dicit, & aliquantulum aliè, ita ut ordinati Sacerdotes possint secum omnia dicere, & præsertim verba Consecrationis, quæ dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem. Hæc autem monitio foret inutilis, si Neomystæ non consecrarent, sed verba Consecrationis materialiter tantum, & recitative proficerent, ut quidam volunt. 2. Quia ibidem dicitur, quod Neomystis non datur absolutio, quia consecraverunt Pontifici. 3. Quando Presbyter inauguratur Episcopus apud Latinos, consecrat cum Epis-

Sacrificii in genere esse, quod sacrificans participet de victima. Unde inferri Necesse est, ut quoties Sacerdos consecrat, sumat utramque speciem. Et 2. q. 83. art. 3. ad 3. inter actiones ad hoc Sacrificium pertinentes recenset fractionem, sumptionem, & benedictionem, ergo. R. ad 1. Sumptionem esse de ratione integrali Sacrificii in genere & maxime instituti per modum cibi & potus, non essentiali, hoc est, pertinere ad substantiam, non ad essentiam. Unde legitime inferri S. Doctor, Sacerdotem non posse celebrare absque eo, quod sumat utramque speciem, quia tenetur Jure divino facere Sacramentum integrum. Ad 2. Hæc quidem actiones pertinent ad hoc Sacrificium, sed nulla essentialiter; fractio & benedictio accidentialiter ex institutione Christi, & ideo non potest omitti.

Inst. tam fractio, quam sumptio significant Sacrificium crucis: ergo. R. fractionem adhiberi, ut commodius sumatur Hostia, & miscetur speciebus sanguinis. Sed ergo adhibetur ad significandum Sacrificium crucis, id habet ex institutione Ecclesie, non Christi; Christus enim fregit, antequam consecraret; & insuper actio sacrificativa debet versari circa utramque speciem, ut dictum est. Quantum ad sumptionem, etiam diximus illam per se immediate representare sepulturam Christi, Passionem vero non nisi mediate & ex sumptione, quod Christus sit prius immolatus; ideo enim celebrans illum manducate aliunde non offert Deo, quod manducat, sed in propriam utilitatem manducat.

Petes 1. Utrum ad essentiam hujus Sacrificii requiratur Consecratio utriusque speciei? R. affirmativè: quia hoc Sacrificium est essentialiter representativum Passionis Christi, & secundum ordinem Melchisedech; atqui neutrum esse potest sine Consecratione utriusque speciei. Non 1. quia in cruce non fuit solum corpus, aut solus sanguis, sed corpus & sanguis seorsum; in Consecratione autem unius speciei tantum, non representatur ista separatio corporis a sanguine. Non 2. quia Sacrificium Melchisedech fuit in pane & vino. Hanc questionem fuis discussum require Diss. 3. hujus Tract. art. 5.

Petes 2. Quæ sit hostia hujus Sacrificii? R. Principalis hostia hujus Sacrificii est Christus, seu ejus corpus & sanguis cum anima, non ut in propria specie, sed ut sub speciebus panis & vini. Ratio 1. patris est: quia Sacerdotes offerunt, quod Christus obtulit in cruce & in coena; atqui Christus in cruce & in coena seorsum obtulit. Unde sess. 22. c. 2. *In hoc Sacrificio idem ille Christus continetur & immolatur, qui in ara crucis semel seipsum obtulit.* Ratio 2. patris est, quia hoc Sacrificium est visibile: ergo res oblata scilicet Christus, debet esse aliquo modo visibile; atqui non est visibile in se, sed tantum ratione specierum: ergo non est hostia ut in propria specie existens, sed ut sub speciebus existens. Confirm. Quia circa corpus Christi ut in propria specie existens non versatur actio sacrificativa; ergo circa illud ut existens sub speciebus.

Dixi: *Principalis hostia*: quia panis & vinum aliquo modo ad hoc Sacrificium pertinent, non ut res principaliter oblata, sed ut terminus a quo, seu materia transiens, ex qua corpus & sanguis Christi consecrantur. Non tamen possunt dici duo Sacrificia, quia panis non offertur absolute, sed ut transmutandus in corpus Christi; sicque ad idem Sacrificium pertinent panis ut materia ex qua, corpus sub panis speciebus ut id, quod principaliter sacrificatur & offertur.

Petes 3. In quo hoc Sacrificium differt ab aliis Sacrificiis? R. 1. A Sacrificiis antiquæ Legis differt 1. ex parte rei oblatae 2. ex parte principalis offerentis. Utrumque patet. 3. Ex parte virtutis & effectus; quia istud est infiniti valoris, non antiqua. 4. Ex parte mysterie; quia in antiquis Sacrificiis materia, quæ assumebatur ad Sacrificium, erat id, quod principaliter offerebatur: hæc autem materia, quæ assumitur, non est res principaliter oblata, sed id, quod ex illa per actionem sacrificativam efficitur. Ex quibus apparet, hoc Sacrificium ab antiquis differre essentiè.

2. A Sacrificio crucis differt 1. Quod Christus in cruce oblatus esset mortalis & passibilis: hic offertur immortalis & impassibilis. 2. In cruce seipsum offerebat; hic ministerio Sacerdotum 3. In cruce cruciatus; hic incruentus. 4. In cruce solum est pretium redemptionis nostræ; hic nobis communicatur. Verùm, his non obstantibus, & quamvis actiones offerentium sint diversæ, quia tamen utrobique est eadem numero hostia, idem principaliter offerens, & hoc Altaris Sacrificium sit subordinatum sacrificio crucis, quatenus est illius commemorativum, & illius virtutis applicativum, differentia non videtur essentialis, sed accidentialis tantum in modo & ratione offerendi. Unde Trid. sess. 22. cap. 2. *una eademque est hostia, idem tunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendæ ratione diversa.* 3. A Sacrificio coenæ a fortiori non differt essentialiter; quia non solum est eadem hostia & idem offerens, sed etiam idem modus offerendi incruentus. Differt ergo dumtaxat accidentaliter penes quasdam cir-

cumstantias, scilicet in coenâ offerebatur mortalis, nunc immortalis; in coenâ per se, nunc per Sacerdotes; in coenâ significabatur Passio futura, nunc præterita.

Petes 4. In quo differt Sacrificium Missæ a Sacramento Eucharistiæ? R. Differre 1. Quod essentia Sacrificii sita sit partim in actione sacrificandi, partim in re oblata; essentia autem Sacramenti in sola re ex actione sacrificativa permanente. 2. Sacrificium ordinatur per se primo ad cultum divinum; Sacramentum ad nostram satisfactionem. 3. Ad essentiam Sacrificii requiritur Consecratio utriusque speciei; essentia Sacramenti salvatur in una specie.

ARTICULUS III.

De effectibus Sacrificii Missæ: qui sint & quomodo causentur?

Sacrificium Missæ esse Latrentium, seu in cultum divinum ordinatum, & Eucharisticum in gratiarum actionem, constat: nec quoad hoc multum relictur Hæreticis; sed negant, esse Propitiatorium ad placandum Deum & expianda peccata, & Impetratorium ac satisfactorium pro peccatis peccatis, quoad culpam dimissis, debitis. Contra quos

Dico 1. Sacrificium Missæ est Propitiatorium, Satisfactorium, & Impetratorium. Ità definit Concil. Trid. Sess. 22. Can. 3. his verbis: *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem esse laudis & gratiarum actionis, non autem propitiatorium, sed soli prodesse sumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis & penis, satisfactoribus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.*

Prob. 1. Juxta Apost. Hebr. 5. Præcipuum munus Sacerdotis est, offerre Sacrificia pro peccatis. 2. Hoc Sacrificium est longè præstantius Sacrificiis antiquæ Legis, continetque omnes eorum differentias, ut loquitur S. Leo Serm. de Pass. & orat. Ecclesie in secreta post Dom. 7. Pentecostes. *Deus, qui legalium differentiam hostiarum unius Sacrificii perfectione sanxisti; atqui inter Sacrificia antiquæ Legis erant Propitiatoria, Satisfactoria, & Impetratoria: ergo. 3. In hoc Sacrificio res oblata, & qui principaliter offert, atque interpellat pro nobis, est ipse Christus, fons & Auctor omnium gratiarum, quippe per hoc Sacrificium Passionem suam pro nobis obicit conspectui Patris. Quid igitur illi deesse potest, ut obtineat nobis omnem qua indigemus gratiam, sive ad peccatorum remissionem, sive ad satisfactionem pro peccatis? 4. Ex Traditione. In Liturgia S. Jacobi legitur, hoc Sacrificium offerri pro peccatis, pro pace, pro ætæ temperie, pro frugibus. S. Cyrillus Jerosol. Catech. 5. illud appellat *Hostiam propitiatoriam*. Chrysostomus 1. 6. de Sacerdotio c. 4. dicit, Sacerdotem, qui offert jugè Sacrificium, *Legatum & precatorem esse apud Deum*. Ambrosius in Exhortat. ad Virgines c. 14. vocat *Hostiam salutarem, per quam peccatum mundi hujus abolitur*. Aug. in Enchir. c. 110. de Sacrificio Altaris respectivè ad defunctos dicit: *Pro valde bonis actiones gratiarum sunt, pro non valde malis propitiatorias sunt*. Tandem Sacerdotibus in sua ordinatione datur potestas offerendi Sacrificium pro vivis & pro defunctis.*

Nihil opponunt Hæretici: quod non sit prius solutum art. 1. hujus Dissertat. Inter effectus itaque Sacrificii Missæ numerantur gratia habitualis remissiva peccatorum mortaliùm, augmentum hujus gratiæ, remissio peccatorum venialium, relaxatio poenarum peccatis quoad culpam dimissis debitam, ac tandem alia bona, tam spiritualia, quam temporalia. Questio est, quomodo ab isto Sacrificio causentur, an immediate, vel mediate; an ex opere operato; an infallibiliter? Unde

Dico 2. Gratiam habitalem remissivam peccatorum mortaliùm non causat immediate Sacrificium altaris, sed mediate tantum, quatenus impetrat & movet Deum, ut gratias actualis concedat, quibus peccator incitatur ad penitentiam. Ità Trid. sess. 22. c. 2. dicens: *Hujus oblatione placatus Dominus gratiam & donum penitentiae concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.*

Ratio est 1. Quia Sacrificium Crucis non sanctificavit immediate peccatores, sed mediate tantum, scilicet placando Deum, & merendo atque impetrando donum & gratiam penitentiae: aloguin omnes statim justi evassent. Non debuit autem tribui major vis Sacrificio altaris, quam Sacrificio Crucis, a quo Sacrificium altaris totam vim suam mutuat. 2. Si Sacrificium altaris immediate sanctificaret peccatores, requireret in subjecto aliquam dispositionem, & sic non posset offerri pro obduratis & impenitentibus. 3. Hoc est discrimen inter hoc Sacrificium & Sacramenta instituta ad causandum gratiam justificativam, scilicet Baptismum & Penitentiam, quod hæc ex sua institutione primario ordinantur ad nostram sanctificationem; illud autem primario ad Dei cultum, secundario ad nos-

nostram justificationem: ergo debet esse diversus modus hunc effectum causandi, scilicet immediate per Sacramenta, mediate per hoc Sacrificium.

Quantum ad augmentum ejusdem gratiæ habitualis in justis videtur idem dicendum; quia illud causare immediate proprium est Eucharistiæ, ut est Sacramentum, & aliorum Sacramentorum, quæ dicuntur vivorum. Insuper alias sequeretur, quod infans baptizatus, pro quo plura offerrentur Sacrificia, posset esse sanctior illo, qui diurnam vitam in praxi omnium virtutum & in laboriosis poenitentiae operibus peregisset, quod est absurdum. Quantum ad remissionem peccatorum venialium, etiam idem est censendum; quia nullum peccatum, quem veniale, remittitur sine aliquo bono motu peccatoris, etsi veniale motum per se obtinet hoc Sacrificium. Potest tamen dici, quod aliquo sensu remittit immediate peccatum veniale, quatenus homo ponit quidem aliquem actum aversivum a peccato veniali, sed de se insufficientem ad ejus remissionem, quam tamen obtinet vi hujus Sacrificii: sicut Sacramentum Poenitentiae dicitur remittere immediate peccatum mortale, quia remittit illi, qui habet tantum attritionem de se insufficientem ad illius remissionem. Quantum ad poenarum peccatis debitaram relaxationem, & alia bona, tam spiritualia, quam temporalia, nihil obstat, quin omnia hæc immediate obtineat, & operetur: et enim per bona opera, jejuniùm, orationes, elemosynas, &c. hæc bona immediate obtineantur, & poenæ peccatorum remittantur, id non est denegandum Sacrificio Missæ, quod est totius Religionis opus præstantissimum. Et specialitèr quoad poenâ, juxta Trident. citatum, valet hoc Sacrificium tam vivis, quam defunctis pro remissione poenarum; defunctis autem in Purgatorio valere non potest impetrando ipsis actum satisfactorium, quia non sunt capaces activæ satisfactionis, aliis possent seipsos a Purgatorio liberare, sed satis passionis tantum, & satisfactionis ab aliis applicare: ergo valet immediate: Si autem ita defunctis prosit, quidni viventibus?

Neque tamèn idè sequitur, quod ditiores, pro quibus offeruntur plura Sacrificia, citius semper liberentur a Purgatorio, quam pauperes; quia pauperes vel fortè habent minores poenas luendas, vel fortè fuerunt sanctiores in vita, sicut plus participant de Sacrificiis oblati generalitèr pro omnibus defunctis, vel de portione Ecclesie in quolibet Sacrificio: participant enim de hoc Sacrificio defuncti, qui cum viverent, inquit Aug. citatus in Ench. c. 110. *ut hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt, sicut uniusquique pro rata sanctitatis.*

Dico 3. Hos omnes effectus Sacrificii Missæ causat ex opere operato, seu vi operis a Christo instituti, non physicè sicut Sacramenta, sed moralitèr. Ratio est; quia hi effectus causantur ex dignitate rei oblatae & principalis offerentis, qui est Christus, independentèr à dignitate Sacerdotis offerentis, qui quandoquè est malus. Et, quamvis quoad aliquos requiratur dispositio ex parte recipientis, non tamen requiritur dispositio formalis causandi, sed ut conditio, sicut dictum est de Sacramentis in genere. Dixi: independentèr à dignitate Sacerdotis, non ab ejus intentione; hæc enim requiritur ad applicationem, ut dicitur.

Dices 1. Effectus, qui causatur ex opere operato, causatur infallibiliter; atqui plures ex his effectibus non causantur infallibiliter; sic non omnes peccatores, pro quibus offertur Sacrificium, convertuntur, non semper bona temporalia obtinentur: ergo. R. N. A. universalitèr sumptum. Patet in sanitate corporali, quæ causatur per Sacramentum Extremæ-Unionis ex opere operato, & tamen non causatur infallibiliter. Et id maxime verum est, quando effectus causati ex opere operato habentur per impetrationem, ut in casu. Quamvis enim Deus ex ipsa dignitate operis moveatur ad effectus, pro quibus offertur, sæpè tamèn obstatèr possunt rationes sive ex parte subjectorum, sive ex parte Dei: sic, quamvis peccator vi hujus Sacrificii obtineat gratias sufficientes conversionis, non tamen semper convertitur, quia sua obdurate & malitia ponit obicem: sic bona temporalia petita non semper conferuntur, quia salutèr non conveniunt.

Dices 2. Juxta solutionem datam, & ea, quæ huc usquè diximus, omnes effectus Sacrificii habentur per impetrationem, idque evidens est; res enim oblata, & principalis offerens Christus non est amplius mortalis & passibilis, sicut non potest amplius mereri & satisfacere: ergo hoc sacrificium est tantum impetratorium & non satisfactorium, nec propitiatorium. R. dici propitiatorium & satisfactorium ratione effectuum; propitiatorium, quia impetrat remissionem poenarum peccatis debitaram; satisfactorium, quia impetrat relaxationem poenarum peccatis debitaram; impetratorium simpliciter, quia impetrat alia bona, quæ nec sunt remissio peccatorum, nec relaxatio poenarum. Est tamen etiam satisfactorium, quatenus ex institutione Christi applicatur per illud ejus passio, ad tollendas poenas peccatorum.

Dico 4. Inter effectus hujus sacrificii, gratiæ sufficientes ad remissionem peccatorum tam mortaliùm, quam venialium, ad augmentum gratiæ habitualis, ad donum perseverantiæ, & ad virtutes, infallibiliter conferuntur per hoc Sacrificium; quia, cum Deus nemini denegat gratias sufficientes, non est dubium, quin maxime intuitu hujus Sacrificii, in quo dilectissimi Filii Passio representatur, eas conferat. At vero ipsa remissio peccatorum, gratiæ augmentum, donum perseverantiæ & virtutes non causantur infallibiliter propièr obicem ex parte subjecti. Remissio aliqua poenæ in justis tam vivis, quam defunctis causatur infallibiliter, quia nullus in ipsis ad hunc effectum est obex. Tandem bona temporalia non causantur infallibiliter, quia non semper expediunt ad salutem.

ARTICULUS IV.

De iis, qui offerunt, & pro quibus offertur hoc Sacrificium; necnon de ejus applicatione.

QUANTUM AD OFFERENTES.

Dico 1. Christus est principalis offerens, non solum quia hoc Sacrificium instituit, & in sui memoriam celebrari præcepit; sed etiam quia per Sacerdotes tanquam per suos Vicarios & Ministros offert. Hi enim in persona Christi ejus-verba pronuntiant ac loquuntur, ac si ipse Christus loqueretur. Adde quod secundum Apost. Hebr. 7. *Christus sempiternum habet Sacerdotium*; & c. 8. *Necesse esse habere aliquod quod offerat, aliquo haberet Sacerdotium otiosum; non offert autem per se: ergo per Sacerdotes.*

Dico 2. Quilibet Sacerdos ritè ordinatus, etiam excommunicatus, est post Christum proprius & præcipuus offerens. Constat ex dictis de Ministro Consecrationis Dis. præced. art. 1. Fideles vero etiam suo modo offerunt, mediate scilicet per Sacerdotes. Unde illa verba Canonis: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cuncta familia tua: & ista vel qui tibi offerunt.* Et hoc triplici modo. 1. Generalitèr omnes fideles, non per aliquam actionem singulorum, sed quatenus Sacerdos nomine totius Ecclesie offert. 2. Specialitèr assistendo Sacrificio, & conformando suam intentionem intentioni sacrificantis. 3. Specialitèr concurrendo ad Sacrificium, sive per stipendium, sive per postulationem, sive per ministerium celebranti exhibitum, sive per subministrationem necessarium ad Sacrificium.

QUANTUM AD EOS, PRO QUIBUS OFFERTUR.

Dico 1. Offerri potest hoc Sacrificium pro omnibus hominibus viventibus, etiam infidelibus, schismaticis, hæreticis, & excommunicatis, modò pro his non offeratur tanquam pro membris Ecclesie; sicut enim licet pro his omnibus orare, ita & Sacrificium offerre. Vide, quæ latius dixi de hac materia Dissert. 2. de Religione art. 6.

2. Pro fidelibus defunctis in Purgatorio potest offerri. Ità Trid. sess. 22. c. 2. & Can. 3. Praxis & traditio Ecclesie, SS. Patres, Tertullian. de corona militis c. 3. Cyrillus Jerosol. Catech. 5. Mystag. Christos. hom. 69. ad Prob. Antioch. & alii. In veteri lege 2. Mach. b. 11. Judas jussit offerri Sacrificia pro mortuis. Ratio est; quia, cum hoc Sacrificium sit satisfactorium & impetratorium, potest illis animabus prodesse. Imò juxta Trid. sess. 25, c. 1. eo inter omnia alia suffragia potissimum juventur.

3. Pro damnatis & infantibus decedentibus sine Baptismo non potest offerri, quia sunt in termino, & in inferno nulla est redemptio. Unde Augustinum dicentem Ench. c. 110. quòd *Quibusdam damnatio fiat tolerabilior per Sacrificia; Auctor (Ib. ad 5.) intelligit de damnatione ad poenas Purgatorii. Quòd autem idem Aug. ibid. c. 112. dicit: *Existimans, poenas damnatorum certis temporum intervallis aliquatenus mitigari*, non affirmat, neque dicit esse probabile, sed solum non tam apertè id esse hæreticum, sicut opinio, quæ tenet poenas damnatorum aliquando esse finiendas. 4. Quantum ad Beatos, certum est 1. illis non offerri Sacrificium, sed soli Deo; est enim Sacrificium cultus lætitiæ, qua protestamur Deum esse supremum omnium rerum creaturam Dominum. Unde, cum Trid. sess. 22. Can. 5. dicit, *Missas licitè celebrari in honorem Sanctorum, & fideles ita petunt; non est sensus, quòd Sanctis offeratur Sacrificium, sed quòd offeratur Deo in illorum honorem, id est, in gratiarum actionem pro beneficiis ipsis a Deo collatis, & in eorum memoriam. Ut pro nobis intercedere dignentur in calis, quorum memoriam agimus in terris, ut explicat idem Concilium Ib. c. 3. ex quo quidam honor accidentalis Sanctis resultat, ut jam dicam. Certum est 2. quòd non offeratur pro illis Sacrificium, ut est propitiatorium & satisfactorium;**